

ultimum, quia nulla datur justa ratio, vel rationabilis causa non acceptandi sanctissimam Bullam Cœnæ, non potest non acceptari: cum eam non acceptantes semper continuo peccent.

89. *Objectio, quod Bulla Cœnæ per contrariam consuetudinem legitime præscriptam fuerit abrogata, vel saltem derogatum eidem.* — Dices: dato quod nulla detur justa causa non acceptandi sanctissimam Cœnæ Bullam, consequenter primi illam non acceptantes tempore aliquo semper, et continuo peccent: tamen saltem successu temporis praxi et consuetudine contraria legitime præscripta abrogari potest: cum quævis lex humana (qualis est Bulla Cœnæ) consuetudine legitime præscripta abrogari possit juxta unanimum doctorum, arg. c. fin. de Consuetud. et amplius diximus, lib. I, tit. II, de Constit. et tit. IV, præsertim, § V, a num. 142, ubi docuimus etiam mala fide, et per actus peccaminosos introduci posse consuetudinem abrogantem leges. Censetur autem de facto jam in Germania et aliis quibusdam hæresi infectis provinciis similis per actus, etsi ab initio peccaminosos introducta consuetudo Bullæ Cœnæ contraria, eamque abrogans, eo quod ibidem in pluribus non observetur, sed passim, et libere violetur, violatoribus propterea nec declarationem excommunicationis incurse, nec aliam pœnam sentientibus.

90. *Solvitur, et ostenditur, quod contra Bullam Cœnæ nunquam introduci, et legitime præscribi valeat consuetudo aliqua.* — Ad hanc objectionem (quam a nonnullis in jure minus fundatis sæpius audire est) respondetur rursus, negando suppositum, videlicet, quod contra Bullam Cœnæ introduci, aut legitime præscribi valeat rationabilis aliqua consuetudo legitima; tum quia consuetudo adversus libertatem, et immunitatem ecclesiasticam etiam immemorialis, semper invalida ac illicita est, prout ex utroque jure late probavimus, lib. I, tit. IV, de Consuetud., a num. 61. Consuetudo autem contra Bullam Cœnæ, vel maxime adversatur libertati, et immunitati ecclesiasticæ, utpote pro qua principaliter edita, et cujus de facto firmissima, et quasi unica columna existit. Tum, et quidem præcipue; quia sæpe dicta Bulla Cœnæ continuo revocat, et annullat omnes et singulas etiam immemorales, et longissimis temporibus præscriptas consuetudines, et alia quæcunque excogitabilia effugia, per

saluberrimam clausulam dignissimam, ut per extensum hic referatur, quæ sic sonat: « Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis et litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus supra dictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cujuscunque ordinis, status, vel conditionis, et præeminentie fuerint, etiamsi ut præmittitur, pontificali, imperiali, regali, seu quavis ecclesiastica, et mundana præfulgeant dignitate, vel eorum regnis, provinciis, et civitatibus, seu locis a prædicta Sede ex quavis causa etiam per viam contractus, aut remunerationis, et sub quavis alia forma, et tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatarum derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdicti non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, ac expressam, ac de verbo ad verbum, de privilegiis, et indulgentiis, et indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, et nominibus propriis, cognominibus, et dignitatibus eorum mentionem, necnon de consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunque longissimis, et aliis quibuslibet observantiis scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias quominus includantur in eis, se juvare valeant, vel tueri. »

91. *Et quare?* — Urgebis, per hanc clausulam revocari, et annullari duntaxat consuetudines priores, seu Bullam Cœnæ antecedentes, non vero posteriores, seu illas, quæ post Bullam jam conditam de novo fuere introductæ; clausulæ siquidem si derogatoriæ ac revocatoriæ consuetudinum, præcise afficiunt, et annullant consuetudines antecedentes, non vero subsequentes legem, nec obstant, quin post talem legem de novo introduci valeat consuetudo legi contraria, prout cum communi aliorum amplius dictum est lib. I, tit. IV, de Consuetud., num. 185, atqui consuetudines Germaniæ, et aliarum provinciarum hæresi infectarum, etiam post conditam Bullam Cœnæ adhuc introductæ, et legitime præscriptæ fuere; ergo. Resp. Transmissa majore, iterum negando minoris suppositum, videlicet, quod post Bullam Cœnæ iterum introducta, et præscripta fuerit, aut præscribi potuerit valida aliqua consuetudo contraria: Tum ob rationem num. præced. dictam: Tum et præcipue, quia quivis Pontifex Bullam Cœnæ de novo tanquam novam legem condit, eam

que singulis annis in Cœna Domini solemniter renovat, et confirmat, atque omnes consuetudines etiam immemorales, ac longissimas præscriptiones annullat, et revocat, sicque facit, quod nullo unquam tempore legitime introduci, et præscribi valeat aliqua consuetudo, etsi alias dato, non concessio rationabilis, ac præscriptibilis esset; cum quævis consuetudo ei contraria introduci cœpta, per jugiter sequentes novas Bullæ emanationes, et renovationes, clausulasque derogatorias, statim iterum, et antequam tempore ad eam præscribendam requisito continuari valeat, revocetur, et sic subsequenter; ut proin impossibile sit, ullam consuetudinem tempore ad eam præscribendam requisito introducere, hoc ipso, quod quævis introduci cœpta, statim iterum revocetur.

92. *Consuetudines contrariæ sunt abusus.* — Et ex his manifeste patet, omnes praxes, et consuetudines sive in Germania, sive in aliis provinciis de facto existentes, nullo modo legitimas, licitas, et validas esse consuetudines, sed meros abusus, et corruptelas, a peccato, et censura minime excusantes; non obstante, quod locorum ordinarii contra transgressores plerumque non procedant, nec illos excommunicatos declarent; quoniam hi dum ad avertenda majora mala, et aliis justis de causis similes etiam patentes Bullæ violationes necessario dissimulant, eas minime approbant, sed Deo vindicandas relinquunt; coram quo sicut sub inani prætextu non acceptæ, aut consuetudine abrogatæ Bullæ, aut similium futillum rationum nullus a culpa est liber, sic nullus pœnam nec hic nec ibi evadet. Quod utinam magis considerarent quidam politici, et occulti vel etiam aperti jurisdictionis et immunitatis ecclesiasticæ potestatisque et auctoritatis pontificiæ inimici, irrisores et contemptores, necnon statui suo ecclesiastico diffformes, tepidi ejusdem defensores, aut neglectores.

93. *Objectio hæreticorum, quod libros eorum prohibeant, et comburant catholici.* — Obijciunt quidem etiam, vel potius immerito murmurant, et injuste conqueruntur ipsi hæretici, quod apud nos libri eorum prohibeantur, quin et igni tradantur. Mentiuntur enim plebi, id a nobis fieri partim ex odio veritatis et fuga lucis; partim quia timemus, ne (aiunt) hæreticos invenientes in eorum libris nostros errores, et ipsorum solida fundamenta, a nostra ad ipsorum religionem

veram (scilicet) transeant; partim quia non possumus rationes ac fundamenta ipsorum solvere. Unde ex justissima prohibitione occasionem etiam inique sumunt jactandi se, et superbiendi, indeque ulterius decipiendi, et in falsa secta confirmandi communem plebem, addita etiam dolosa, et venenosa clausula, Pontifices adimere Catholicis non tantum libertatem, sed etiam occasionem et potestatem in maxime momentoso, et æternam salutem principaliter concernente puncto fidei, ac religionis scitu necessariam veritatem indagandi.

94. *Solvitur.* — Verum quam iniquæ, dolosæ, mendaces, injuriosæ, et calumniosæ sint hæc quærelæ, et diceria hæreticorum, cuivis vel parum experto, et erudito patet. Enimvero nequaquam ex allegatis causis, vel aliqua ipsarum, sed ideo prohibentur libri hæreticorum de religione tractantium, aut hæresin ut supra continentium; quia fere omnes repleti, vel certe infecti sunt mendaciis, calumniis, fallaciis, falsis allegationibus, textibus dolose truncatis, vel injuste falsificatis, sophismatibus, etc., idque sub specie boni, uti Catholici scriptores præsertim controversistæ passim demonstrant, hæreticorumque librorum rationes, et fundamenta ad occultum tam clare refutant, ut quivis errores eorum aperte videre, quin et palpate valeat. Ex quibus catholicorum libris controversisticis quilibet securissimam occasionem, et plenam libertatem habet in puncto religionis, et fidei se sufficienter informandi, principia et fundamenta, veritatisque signa, et notas Catholicorum cum principiis, fundamentis et hæreticorum conferendis, simulque videndi, quanam pro sua religione majora, certiora, securiosa ac solida veritatis fundamenta, signa et notas habeat.

95. *Et justificatur hæc prohibitio exemplo antiquæ Ecclesiæ, ac legibus civilibus.* — Porro quod ex dictis, et aliis justis de causis libri hæreticorum, et alii nocivi merito prohibeantur, quin et igni tradantur, sancto etiam antiquæ Ecclesiæ (quam hæretici quoque veram fuisse fatentur) exemplo et praxi, necnon ipsis antiquorum imperatorum sanctionibus et legibus probatur, et firmatur. De qua praxi antiquissimi testantur scriptores, ut Clemens lib. I. *Apostolic. Constit. cap. VII.* Alexander episcopus Alexandrinus in Epistola ad Alexandrum, Episcopum Constantinopolitanum, apud

Theol. lib. I. Histor. cap. iv et tom. I. Concil. Severini Binci, fol. 281. Constantinus imperator in epistola ad episcopos, et populum apud Socratem lib. I. Histor. cap. vi. Porphyrii scribit: « Impia scripta deleta penitus, et extincta fuisse; atque similiter visum, si quod opus ab Ario conscriptum reperiatur, illud cremandum esse. Addit etiam poenam: ut si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehensus fuerit, et eum non statim in medium adductum, igne combusserit, morte mulctetur. » Quod decretum de Ario libris comburendis fuerat etiam factum in concilio Nicæno apud Niceph. lib. VIII, Histor. cap. xviii.

96. Audiamus etiam leges civiles I. *Decree*. 5. § 1, de sancta Trinitat. Sancimus igitur, ut omnia, quæcunque Porphyrius sua pulsus insania (aut quivis alius) contra religiosum Christianorum cultum conscripserit, apud quemcunque inventa fuerint, igni mancipentur. Omnia enim provocantia Deum ad iracundiam scripta, ne ad aures quidem hominum venire volumus. Et infra § 3. Quoniam vero pervenit ad pias aures nostras, quod quidam doctrinas quasdam conscripserunt, et ediderunt ambiguas, et non per omnia congruentes expositæ orthodoxæ fidei a sancta Synodo eorum sacrum Patrum, qui Nicææ et Ephesi convenerunt, etc., jubemus facta hujusmodi scripta, sive antea, sive nunc (potissimum autem ea, quæ Nestorii sunt) comburi, et perfectissimo interitu mancipari, ita ut in nullius cognitionem venire possint: His, qui talia scripta, aut tales libros habere, aut legere sustinuerint, ultimum supplicium experturis.

Pariter ad propositum sonant sequentes leges, videlicet, I. Quicunque. 8, § fin. C. *de Heretic.* ibi: Nulli etiam contra venerabilem Chalcedonensem synodum liceat aliquid vel dictare, vel scribere, vel edere, aut aliorum dicta vel scripta super eadem proferre. Nemo hujusmodi habere libros, et sacrilega scriptorum audeat monumenta servare: quod, si qui in his criminibus fuerint comprehensi, perpetua deportatione damnentur, Item I. *Ex Manichæo*. 16, § 2. C. eod. ibi: Qui habet libros manichæicos, et non manifestat eos, ut comburantur, puniatur: cum concordantiis.

97. *Atque sacra Scriptura.* — Quibus accedit, et causam e integro justificat ipsa Sancti Spiritus doctrina Act. 19, registrata illis verbis: Multi ex illis, qui fuerant cu-

riosa sectæ, contulerunt libros, et combusserunt eorum omnibus.

98. *Ratio prolixæ discussionis materie de prohibitionem librorum hæreticorum per Bullam Cœnæ.* — Et hæc de facta per bullam cœnæ prohibitionem librorum hæreticorum de religione tractantium, aut hæresin continentium prolixius dicere oportuit; tum ad tollendos tepidorum christianorum catholicorum tepida circa illam principia, et malas nonnullorum, simulque periculosas corruptelas, tum ad reprimendas hæreticorum injurias calumnias, falsas simulationes et mendacia, periculosasque et dolosas sub specie boni libris suis inspersas deceptiones.

99. *Index librorum prohibitorum, unde?* — Queritur II. Quinam libri et qualiter legi prohibiti sint Indice librorum prohibitorum? Ante responsionem notandum, sacrosanctum concilium Tridentinum, necnon plures Pontifices, in specie vero Pium IV, Sixtum V, et Clementem VIII, volentes occurrere malis et periculis, quæ ex hæreticorum, et aliorum perniciosorum librorum lectione passim sequuntur, decrevisse, ut conficeretur certus Index librorum prohibitorum. Ex quo, et regulis illius universalibus quivis videre posset, an liber aliquis, et quomodo sit prohibitus. H. N.

100. *Per illum prohibentur libri triplicis classis; libri prohibiti, qui?* — Resp. I. Per Indicem librorum prohibitorum triplicis, primæ videlicet, secundæ, et tertiæ classis prohiberi libros. Ad primam classem pertinent illi libri, qui propter ipsos auctores, hæreticos scilicet sunt damnati, seu prohibiti. Item omnes ab auctore hæretico, vel de hæresi publice suspecto editi illi libri, qui de religione ex professo tractant, modo supra a num. 49 explicato, etiamsi hæresin non contineant. Cujusmodi auctores plurimi in specie referuntur ordine alphabetico in præfato Indice, præmissa cujusvis litteræ rubrica auctores primæ classis; ad quos pertinent etiamsi expressi in Appendice. Ad eandem classem pertinent hæresiarcharum, id est illorum hæreticorum, qui hæresin invenerunt, aut suscitavit, vel hæreticorum, qua talium capite aut duces sunt, vel fuerunt; quales v. g. sunt Lutherus, Zwinglius, Calvinus, quorum libri omnes et singuli, etsi de religione non tractent, nec hæresin contineant, sed de alia quacunque tandem materia agant, per hunc Indicem prohibiti sunt, idque conformiter juri communi, quia

damnato auctore damnantur ejus scripturæ, et libri, et opera, ut habet Summarium c. *Fraternitatis* h. t.

101. *Secundæ classis libri quinam?* — Ad secundam classem pertinent libri, qui prohibentur, aut prohibiti sunt non propter ipsum auctorem libri, sed propter non sanam, suspectam, aut moribus fidelium repugnantem, quam continent, doctrinam. Quales sunt libri auctorum etiam Catholicorum de rebus lascivis, et obscœnis tractantes; item libri eorundem Christianis moribus, aut fidei contrariam, vel in hac materia suspectam doctrinam continentem. Cujusmodi plurimi etiam in specie referuntur in sæpe allegato Indice, ordine pariter alphabetico præmissa cujusvis litteræ rubrica certorum auctorum libri prohibiti, ad quos etiam spectant libri in Appendice immediate sequenti expressi.

102. *Et quinam tertiæ classis?* — Ad tertiam classem pertinent incertorum auctorum libri prohibiti ob doctrinam, quam continent malam sive in genere moris, sive in genere religionis, aut fidei: quales libri rursus plurimi ordine alphabetico referuntur in eodem Indice, præmissa cujusvis litteræ rubrica incertorum Auctorum libri prohibiti.

103. *Libri primæ et secundæ classis ob hæresin, quam continent, prohibiti, prohibentur excommunicatione non reservata per indicem.* — Resp. II. Libri primæ classis omnes, item etiam libri secundæ, et tertiæ classis illi, qui ob aliquam, quam continent hæresin, vel ob falsi dogmatis suspicionem prohibiti aut damnati sunt; prohibentur per Indicem sub excommunicatione ipso facto incurrenda, Papæ tamen non reservata. Idem clare patet ex Indicis regula 10, ubi ita statuitur: Quod si quis libros hæreticorum (quales sunt omnes ad primam classem pertinentes) vel cujuscunque auctoris scripta (etiam si eorum etiam Catholicorum, vel infidelium, sive ad secundam, sive ad tertiam classem pertinentes) ob hæresin, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque profana legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat.

104. *Et reservata per Bullam Cœnæ.* — Ex quo patet, hæreticorum libros de religione tractantes, vel hæresin continentem, dupliciter sub excommunicatione prohibitos esse, una, et quidem Papæ reservata per Bullam Cœnæ, juxta regulam n. 33. Altera non re-

servata per Indicem librorum prohibitorum.

105. *Libri secundæ et tertiæ classis ob aliam non sanam doctrinam prohibiti sub peccato gravi quidem, sed nulla sub excommunicatione prohibentur.* — Resp. III. Secundæ, et tertiæ classis libri illi, qui non ob hæresin aliquam, nec ob religionis falsum dogma, sed ex alio capite v. g. ob doctrinam moribus contrariam rejecti existunt, sub gravi quidem peccato mortali, gravique episcopi arbitrio imponenda poena, nulla tamen sub excommunicatione prohibiti sunt. Ita clare habet Indicis regula 10, ad finem: ibi: Qui vero libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio episcoporum severe puniatur.

Circa secundam classem librorum prohibitorum, a Catholicis videlicet auctoribus scriptorum notandum, nullum censeri prohibitum, nisi in Indice auctoritate concilii Tridentini expresse sit specificatus, ut bene notat Layman, lib. II, tr. 1, cap. xv, n. 8. Adde, vel nisi sit de genere illorum, qui juxta regulas infra n. 111, ponendas universaliter sunt prohibiti.

106. *Tertiæ classis libri subinde sunt pejores, quam primæ classis.* — Circa tertiam vero classem specialiter quoque notandum, libros ibidem specificatos non ideo hæc tertiæ, vel ultima classe poni, quasi vero minoris periculi, minorisque malitiæ, consequenter minus prohibiti, indeque ultima classe positi essent; ita ut gravitas prohibitionis, periculi, et malitiæ in libro desumenda foret ex ordine classis, prout plurimi etiam ex doctoribus putarunt. Nam contrarium a parte rei se habet; cum plures libri ob ignotum auctorem in tertia classe positi, sint longe magis perniciosi, quam libri primæ, et secundæ classis, uti expresse dicit Alexander VII, in Constitut. super observatione Indicis librorum prohibitorum, edita 1664 quæ incipit: *Speculatores domus Israel*, et tunc 13, inter Constitutiones dicti Pontificis, tom. V. Bulharri Romani, ubi § 1, postquam dixit: quod illa classium (trium videlicet supra specificatarum) distinctio plurimos non modo vulgares, sed etiam eruditos decipiebat, dum ex earum ordine confixionis gravitatem aestimabant, quasi severius actura semper videatur cum legentibus auctorem, quam posteriorum classium libros, quod tamen secus esse ex ipsa classium institutione a

concilio Tridentino facta colligi facile potest. Addit prope finem, contingit, ut plerique libri ignoti auctoris, qui tertiæ classi assignantur, multo pejores sint, quam in prima, aut secunda recensiti.

107. *Unde desumendum, qualiter libri tertiæ classis, tacito videlicet auctore editi sint prohibiti.* — Ex quo infertur, qualibet hic et ille liber, qui ob ignotum nomen auctoris in tertia classe existit, prohibitus sit, an videlicet sub excommunicatione, vel non, ex ipsa materia libri desumendum sit: si enim liber hæresin modo supra nu. 51, allegato continet, sub excommunicatione non reservata prohibitus censetur, juxta dicta n. 105. Item etiam sub excommunicatione servata per Bullam Cœnæ, quia censetur liber auctoris hæretici, licet nomen illius non sit expressum, hoc ipso enim, quod, uti supponitur, unam, aut plures hæreses ex professo propugnet, et defendat, hæreticus jure præsumitur, cum istud non nisi verus hæreticus faciat.

108. *Si constat, librum hæreses continentem esse ab auctore hæretico, censetur per Bullam Cœnæ prohibitus, etsi nomen auctoris non sit appositum.* — Unde etiam universaliter notandum, quod etiam illi libri, qui tacito auctoris nomine de religione tractantes, aut hæresin continentem prædeunt; per Bullam Cœnæ sub excommunicatione reservata prohibiti censeantur, si aliunde sufficienter scitur, aut ex ipsa materia indubitate præsumitur, auctorem esse hæreticum; tum quia Bulla non requirit, quod auctor in libro sit expressus, sed tantum, quod liber sit auctoris hæretici; dummodo de hoc sufficienter, quacunque dein ratione, aut modo constet; tum quia eadem, imo major ratio legis periculum nempe perversionis est in libris, qui tacito, quam qui expresso nomine auctoris eduntur; cum illi longe majori libertate, et præsumptione, minoreque reverentia aut timore pœnæ, quam isti venenum suum evomant, teste experientia; ubi autem eadem ratio est, eadem est juris dispositio, per vulgaria juris: cum de similibus idem sit judicium, c. *Inter corporal. de Translat. episc.*

109. *De facto novus confectus est index librorum prohibitorum, qui continuo crescit.* — Cæterum, quia recensita hæc in tres classes librorum divisio non paucos confusos reddidit, Alexander VII, novum indicem librorum prohibitorum fieri, eumque et succes-

sores illius continuari fecerunt, in quo non tantum libri prioris indicis, sed etiam illi, qui de novo prohibiti fuere, inveniuntur, ita tamen, ut omnia trium classium distinctione omnes et singuli ordine alphabetico ponantur, et illi, qui primæ classis sunt, specialiter, utpote speciali nota digni, signentur per ly I. CL. uti videre est in moderno indice: qui index per additionem aliorum librorum, qui de novo damnantur a Summis Pontificibus, continuo crescit.

110. *Et easdem cum antiquo regulas habet.* — Porro, quia novus hic librorum prohibitorum Index de reliquo easdem cum Indice antiquo regulas habet, illasque stricte observari vult, Pontifex, ut videre est in citata constitutione Alexandri VII, *Speculatores*, quæ est 15, inter constitutiones dicti Pontificis in tom. V Bullarii, utile videtur, eas per extensum hic subjungere; præsertim, cum in eis generalis habeatur doctrina ostendens, quinam libri sint prohibiti: sunt autem regulæ sequentes.

111. *Regulæ indicis librorum prohibitorum.* — Regula I. — Libri omnes, quos ante annum MDXV, aut Summi Pontifices, aut concilia œcumenica damnarunt, et in hoc Indice non sunt, eodem modo damnati esse censeantur, sicut olim damnati fuerunt.

Regula II. — Hæresiarcharum libri, tam eorum qui post prædictum annum, hæreses invenerunt, vel suscitaverunt, quam qui hæreticorum capita aut duces sunt, vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zwinglius, Calvinus, Balthazar Pacimontanus, Schwenckfeldius, et his similes cujuscunque nominis, tituli, aut argumenti existant, omnino prohibentur.

Aliorum autem hæreticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur.

Qui vero de religione non tractant a theologis Catholicis, usu episcoporum et inquisitorum examinati, et approbati permittuntur.

Libri etiam Catholice conscripti, tam ab illis, qui postea in hæresin lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiæ gremium rediere, approbati a facultate theologica alicujus universitatis Catholice, vel ab inquisitione generali, permitti poterunt.

Regula III. — Versiones scriptorum etiam ecclesiasticorum, quæ hactenus editæ sunt a damnatis auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam contineant, permittuntur.

### § III. DE LECTIONE, RETENTIONE, ET DEFENSIONE HÆRETICORUM, ETC. 239

Librorum autem Veteris Testamenti versiones, viris tantum doctis et piis, judicio episcopi concedi poterunt; modo hujusmodi versionibus tanquam elucidationibus vulgatæ editionis ad intelligendam sacram Scripturam, non autem tanquam sacro textu utantur.

Versiones vero Novi Testamenti, ab auctoribus primæ classis hujus Indicis factæ, nemini concedantur quia utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet.

Si quæ vero annotationes cum hujusmodi, quæ permittuntur, versionibus, vel cum vulgata editione circumferuntur ex punctis locis suspectis a facultate theologica alicujus universitatis Catholice aut inquisitione generali permitti eisdem poterunt, quibus et versiones.

Quibus conditionibus totum volumen bibliorum quod vulgo biblia Vatabli dicitur, aut partes ejus, concedi viris piis, et doctis poterunt.

Ex bibliis vero Isidori Clari Brixiani prologus et prolegomena prædicantur; ejus vero textum nemo textum vulgatæ editionis esse existimet.

Regula IV. — Cum experimento manifestum sit, si sacra biblia vulgari lingua, passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio episcopi, aut inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi, vel confessarii, bibliorum a Catholicis auctoribus versorum lectionem, in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerunt, ex hujusmodi lectione non damnari, sed fidei, et pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant.

Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere præsumpserit, nisi prius bibliis ordinario redditus, peccatorum absolutionem percipere non possit.

Bibliopola vero, qui prædictam facultatem non habentes, biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium in usus pios ab episcopo convertendum, amittant: aliisque pœnis pro delicti qualitate ejusdem episcopi arbitrio subiaceant.

Regulares vero nonnisi facultate a prælatis suis habita, ea legere aut emere possint.

Observatio. — Animadvertendum est circa

suprascriptam quartam regulam Indicis fel. record. Pii Papæ IV, nullam per hanc impressionem, et editionem de novo tribui facultatem episcopis, vel inquisitoribus, aut regularium superioribus, concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato et usu sanctæ Romanæ, et universalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias legendi, vel retinendi biblia vulgaria, aut alias sacræ Scripturæ tam Novi, quam Veteris Testamenti partes, quavis vulgari lingua editas; ac super summaria et compendia etiam historica eorundem bibliorum, seu librorum sacræ Scripturæ, quocunque vulgari idiomate conscripta: quod quidem inviolate servandum est.

Regula V. — Libri illi, qui hæreticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla, aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cujusmodi sunt lexica, concordantiæ, apophthegmata, similitudines, indices et hujusmodi, si quæ habeant admixta, quæ expugnatione indigeant, illis, episcopi et inquisitores, una cum theologorum Catholicorum consilio sublatis aut emendatis, permittantur.

Regula VI. — Libri vulgari idiomate de controversiis inter Catholicos et hæreticos nostri temporis disserentes, non passim permittantur, sed idem de iis servetur, quod de bibliis vulgari lingua conscriptis statutum est.

Qui vero de ratione bene vivendi, contemplandi, confitendi, ac similibus argumentis vulgari sermone conscripti sunt, si sanam doctrinam contineant, non est cur prohibeantur, sicut nec sermones populares, vulgari lingua habiti.

Quod si hactenus in aliquo regno, vel provincia, aliqui libri sunt prohibiti, quod nonnulla continerint, quæ sine delectu ab omnibus legi non expediat, si eorum auctores Catholici sunt, postquam emendati fuerint, permitti ab episcopo et inquisitore poterunt.

Regula VII. — Libri, qui res lascivas, seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur; qui eos habuerint, severe ab episcopis puniantur.

Regula VIII. — Libri, quorum principale argumentum bonum est; in quibus tamen